INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA

HALENSI CVM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

PER HIEMEM

ANNI MDCCCXXXXII — MDCCCXXXXIII

INDE A DIE XXIIII OCTOBRIS VSQVE AD DIEM VIII APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

Inest Meieri Commentationis Sextae De Andocidis Quae Vulgo Fertur Oratione Contra Alcibiadem Particula Secunda.

HALAE

TYPIS HENDELIANIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

PRORECTOR

GODOFREDVS BERNHARDY

CVM

DIRECTORE ET SENATV

S. D.

CIVIBVS SVIS.

Ab Harpocratione, de quo nuper disserere orsi sumus, nunc parumper discedimus, ut primis quasi lineis lexicorum Graecorum, praesertim rhetoricorum historiam adumbremus. Grammatici igitur Graeci lexica, qualia haec usurpat aetas, quibus omnis linguae thesaurus, id est omnia vocabula comprehenderentur, quotquot vel in sermone et consuetudine versarentur, vel poetae scriptoresque usurpassent, numquam, quod sciam, ne moliti quidem sunt [26]). Immo, illud, ni fallor, unum semper spectabant, id quod ipsa iam „lexicorum" et „glossariorum" nomina docent, ut *λέξεις* sive *γλώσσας* complecterentur, id est [27]) voces, quae ab puro et quotidiano sermone,

---

[26]) Iniuriam facere videtur Galenus glossarum Hippocratis enarratoribus, quod exposition. glossar. Hippocr. p. 402. *θαυμάζειν*, dicit, *ἐπῆλθε τῶν ἅπασαν ἐξηγεῖσθαι τὴν Ἱπποκράτους λέξιν ἐπαγγειλαμένων, εἰ μὴ συνίασιν ὅτι πλείω παραλείπουσιν ὧν διδάσκουσιν.* Illis enim hoc professis ne animus quidem erat omnem elocutionem Hippocratis aut aliam omnino comprehendere, quam quae neque in consuetudinem abisset essetque Hippocratis propria. Itaque illi sic demum in iustam reprehensionem incurrerent, si multas earum vocum reliquissent, quae *glossarum* in numero essent. [27]) *Λέξις* vocabulum latissime patebat apud philosophos, apud dicendi magistros, apud rerum scriptores. Comprehendebat enim nunc omnia verba, quibuscumque in dicendo uterentur; hac potestate accipiendae sunt formulae *κατὰ λέξιν, αὐταῖς λέξεσι, αὐτολεξεί, αὐτῇ λέξει, ὧδε τῇ λέξει, θήσω τὴν λέξιν.* Modo omnem elocutionem complectebatur, separatam illam ab sententia; eo significatu accepit *Aristoteles* Poetic. VI, 18, ubi *λέξιν* explicat *τὴν διὰ τῆς ὀνομασίας ἑρμηνείαν*; eodem Diogenes Babylonius Stoicus, cum *λέξιν* explicat *φωνὴν ἐγγράμματον* (*Diog. Laert.* VII, 55.); eodem accipienda est vox, ubi vel opponitur *διανοίᾳ*, ut distinguantur *σχήματα λέξεως* ab *σχήμασι διανοίας*, vel ab *λόγῳ* sic differre dicitur, quod *λόγος* simul complectatur *διανοίαν*, *λέξις* in sola *ἐπαγγελίᾳ* subsistat. Cf. *Rud. Schmidt* Stoic. Grammat. p. 21. Grammatici vero et rhetores praesertim pluralem *λέξεις* eas tantum voces dicebant, quae ab usu et consuetudine recederent. Sic, ut hoc utar, *Hermogenes* de id. II, 11, 3. p. 382. Walz. *ἴδιον δὲ Ὑπερίδου τὸ καὶ ταῖς λέξεσι ἀφειδέστερόν πως καὶ ἀμελέστερον χρῆσθαι, ὥσπερ ὅταν μονώτατος λέγῃ καὶ γαλεάγρα κ. τ. λ.* Ea potestate intellegendum est vocabulum, quotiens quis *λέξεις ἐθνικάς, Ἀττικάς, τραγικάς, κωμικάς, ῥητορικάς, Πλάτωνος* vel scripsisse narratur, vel eo titulo libros inscripsit; neque enim illi omnia, sed ea tantum vocabula comprehendere volebant, quibus Atticorum, tragicorum, comicorum, oratorum, Platonis elocutio differret ab quotidiano sermone, qualis grammaticorum memoria obtinebat. Idem vero significatus erat etiam, nescio quo ex tempore, *γλώσσης* voci; *Aristotel.* Poetic. XXI, 2. *ἅπαν δὲ ὄνομά ἐστιν ἢ κύριον ἢ γλῶττα — λέγω δὲ κύριον μὲν ᾧ χρῶνται ἕκαστοι, γλῶτταν δὲ ᾧ ἕτεροι* (intercidisse quaedam videntur in hunc fere modum redintegranda: *ᾧ ἕτεροι [μὲν χρῶνται, μὴ χρῶνται ἕτεροι]*). *Quintil.* I. O. I, 1, 35: „interpretationem linguae secretioris, quas Graeci *γλώσσας* vocant." Hac significatione et alii utuntur bene multi et *Dionys. Hal.* de C. V. c. 3 p. 15 Reisk. *οὔτε δὴ γλῶτται πολλαί τινες οὔτε ξένα ἢ πεποιημένα ὀνόματα.* Easdem secretiores

*

ab consuetudine non quidem imperitorum loquendi sed eruditorum [28]) recederent. Valet illud non tantum in specialia lexica, sed etiam in generalia, si qui *λέξεις παντοδαπάς* (s. *ποικίλας*, s. *παντοίας*), vel *λέξεων συναγωγάς*, vel una voce *λέξεις*, *γλώσσας* vel aliquo simili titulo inscripserunt libros; cadit igitur etiam in Zopyrionis Pamphilique coniunctum opus, in breviaria, quibus illud et ab Diogeniano et ab Vestino in epitomen redactum est, in Dorothei Ascalonitae *λέξεως συναγωγήν*, in Eugenii *συλλογὴν λέξεων* sive *παμμιγῆ λέξιν*, in Helladii *λεξικὸν κατὰ στοιχεῖον* s. *λέξεως παντοίας χρῆσιν* et quae erant id genus alia, de quibus infra singulatim accuratius dicetur.

Quae vero vocabula grammaticorum temporibus abhorrebant ab quotidiana vita, eorum alia olim in usu fuerant et paullatim demum ita in oblivionem et desuetudinem venerant [29]), ut paene intermortua et sepulta essent, nam „ut silvae foliis pronos mutantur in annos, ita verborum vetus interit aetas, neque sermonum stat honos et gratia semper“, ut ait Venusinus poeta; alia numquam communia in popularemque usum recepta sed propria semper fuerant modo uni alterive Graecarum gentium dialecto, veluti Aeolicae Doricae Ionicae Atticae; modo uni alterive regioni insulae urbi quasi emancipatae, quo in numero sunt, ut his utar, Laconicae, Creticae, Cypriae, omnes denique *ἐθνικαὶ γλῶσσαι*; modo uni alterive arti vel scriptorum generi vel scriptori peculiaria, veluti glossae culinariae (*ὀψαρτυτικαί*) medicae, oratoriae, philosophorum, Hippocratis, Democriti, Heracliti, Platonis; modo privatae erant vel omni poesi vel uni cuipiam poesis generi, vel certo cuidam poetae, veluti Homericae, tragicae, comicae glossae. Atque poeticae quidem glossae ita principem quendam tenebant locum, ut essent, qui glossas omnino non alias crederent esse quam poeticas voces [30]). Obliviarum autem vocum sive „priscorum verborum“ interpretatio duobus potissimum locis prae omnibus vehementer requirebatur, primum in sacrorum rituum precumve formulis, deinde in legum antiquarum praescriptionibus. Nam in illis cum quidquam immutare et ad genium intellectumque saeculi aptare religioni esset [31]), non raro usu veniebat, ut ne ab ipsis quidem sacerdotibus satis intellegerentur, qui illis carminibus formulisque utebantur. Exemplis utor axamentis, id est Saliorum carminibus, dein fratrum Arvalium canticis, carmine Cn. Marcii vatis, auguralibus libris, commentariis sacrorum, commenta-

---

voces Latini scriptores saepe „glossemata“ dicunt; sic *Quintil.* I. O. I, 8, 15 „circa glossemata, id est voces minus usitatas,“ sic Festo „glossematorum scriptores“ v. Naucum p. 166 Muell. et Ateii philologi „liber glossematorum“ p. 181, 8 commemorantur, quibus quidem locis cave ne „glossema“ credas explicationem glossae dici. Graeci rarius ea abutuntur voce, veluti *Marcus Antoninus* IV, 33 *αἱ πάλαι συνήθεις λέξεις γλωσσήματα νῦν* (cf. *Gatak.* in h. l.), frequentant autem *γλωσσηματικὰ* adiectivum eadem potestate; sic *γλωττηματικῶν - ὀνομάτων* *Dionys.* l. c. c. 26 p. 214, *ὀνομάτων τε γλωττηματικῶν καὶ ξένων χρήσει id.* de Lys. p. 457; *γλωσσηματικὰ καὶ ἀπηρχαιωμένα καὶ δυσείκαστα τοῖς πολλοῖς* quae apud Thucydidem extent, commemorat *id.* de Thucyd. propr. c. 3. p. 793; Thucydidi *γλωττηματικὴν καὶ ἀπηρχαιωμένην καὶ ξένην λέξιν* tribuit ib. 2. p. 790; *φράσιν γλωττηματικήν τε καὶ ἀπηρχαιωμένην καὶ τροπικὴν id.* de Thucyd. hist. p. 939; in orationibus potissimum quas interponat Thucidides reperiri multas *γλωττηματικὰς ξένας καὶ πεποιημένας λέξεις id.* indicat de Thucyd. hist. 35 p. 899. Sed satis superque exemplorum rei etiam in vulgus notissimae.— Fit hinc, ut idem liber nunc *περὶ λέξεων*, nunc *περὶ γλωσσῶν* dicatur, veluti Philemonis lexicon modo *'Αττικαὶ λέξεις*, modo *'Α. γλῶσσαι* dicuntur. [28]) Diog. L. VII, 59 *ἑλληνισμὸς μὲν οὖν ἔστι φράσις ἀδιάπτωτος ἐν τῇ τεχνικῇ καὶ μὴ εἰκαίᾳ συνηθείᾳ.* [29]) Iusto arctior est *Galenus* glossar. Hippocrat. exposit. p. 400 (Franz), ubi oblivias tantum voces glossarum in numerum referre videtur, *ὅσα τῶν ὀνομάτων ἐν μὲν τοῖς πάλαι χρόνοις ἦν συνήθη, νυνὶ δ' οὐκέτι ἐστί, τὰ μὲν τοιαῦτα γλώττας καλοῦσι.* Idem p. 408 paullo benigniorem se praebet: *δῆλον εἶναι τρόπον τῶν γλωττῶν ἢ τοῦ κοινοῦ πᾶσιν ὀνόματος ἐκπεσόντος τῆς ἐπικρατούσης συνηθείας ἢ τοῦ γενομένου πρός τινος τῶν παλαιῶν μὴ παραχθέντος ὅλως εἰς τὴν συνήθειαν.* [30]) *Pollux* II, 189 *τὰς ποιητικὰς φωνὰς γλώττας ἐκάλουν.* *Antiattic.* Bekk. p. 87, 12 *γλώττας τὰς τῶν ποιητῶν ἢ ἅστινας ἄλλας ἐξηγούμεθα.* [31]) *Quintil.* I. O. I, 6, 41.

riis librisque pontificum, quorum glossae aliquot extant apud Festum. Alterius generis exempla praebent leges tum Atticae Solonis, tum Romanae XII. Tabularum; nam quae in illis extabant ἀποινᾶν, δρασκάζειν, ἐπαίτια, ἐπιορκεῖν, κλέπος, οἰκεύς, ποδοκάκκη, πεφασμένως πωλεῖσθαι, et alia eiusdem generis erant oratorum Atticorum aetate, id quod Lysias et Demosthenes satis comprobant, non minus obscura et in vulgus ignota, quam Ciceronis aetate doctis tantum hominibus constabat, *adsiduus*, *arcera*, *calvitur*, *caussam coniicere*, *ex iure manum consertum*, *escit*, *intestabilis*, *nancitor*, *obvagulatum*, *portum*, *pedem struit*, *genas radere*, *ricinium*, *rupitias*, *sanates*, *sarpta*, *subvades*, *superstites* in XII. tabulis quid significarent; quid, quod „*lessus*" in iisdem legibus quid esset ne Sext. quidem Aelius et L. Acilius, quos iam Cicero [32]) „veteres interpretes" appellat, satis sibi intellexisse visi sunt; idem multo magis in leges cadit, quae Numae Pompilii aliorumve regum ferebantur. Verum apud Romanos quem secundum commemoravi locum, is latissime patebat; quam enim apud eos ab ingenio prudentissimi et ab iure peritissimi homines iam antiquitus condiderant iuris artem disciplinamque, ea igitur ut antiquitatum, ut usus et consuetudinis, ita etiam verborum non tantum priscorum et obsoletorum, sed dubiorum quoque et ancipitium explicatione carere nullo modo poterat; hinc factum est, ut iurisconsultorum aliquot iis ipsis libris, quibus ius vel pontificium vel civile vel unam alteramue legem explicarent, quasi praetereuntes verborum quoque vim virtutesque patefacerent et illustrarent, nonnulli nobilibus Aelii Galli vestigiis insistentes data opera de verborum, quae ad ius pertinerent, significatione scriberent [33]). Apud Graecos autem ut iuris prudentia exigua, ars et disciplina fere nulla, ita forensium etiam et quasi legitimorum verborum ante grammaticos rara interpretatio neque tamen alia nisi quae intra sophisticae fines se continebat. — Ad hos duos proximo spatio tertius accessit locus is, qui in poetarum antiquorum explicatione versabatur, imprimis eorum, quorum lectione pueri ad humanitatem formabantur; neque enim pueris Atticis Aristophaneae aetatis promptior paratiorque erat Homerica elocutio, quam Horatii aetate Romanis impuberibus Enniana vel Liviana; scimus autem illis Homeri carmina, his temporibus Livii Odysseam, Ennii annales atque alia id genus carmina litterarum in ludis lectitata et ab plagosis Orbiliis explicata esse, uti Iuvenalis aetate „totus decolor erat Flaccus et haerebat nigro fuligo Maroni".

Apud Graecos igitur, ut ne amplius extra Graecorum terminos egrediatur oratio, diu ante quam altior illa grammatica in disciplinae formam revocata esset, priscorum verborum et rariorum vocum explicatio, certe eius prima quasi quaedam et crassiora fila ab grammatistis sive litteratoribus deducebantur et ab sophistis; docent id fragmenta quaedam Daetalensium Aristophanis; haec enim fabula „cum in eo versetur, ut incommoda novae, virtutes antiquioris disciplinae demonstret, inducitur senex pater cum filiis duobus, altero pristinae, altero novae corruptaeque disciplinae addicto; hunc redarguit pater Homericas ignorare lexeis, illum hic nescire evincit glossas quae Solonis sint legum". Temporibus igitur illis interpretationem Homericarum vocum antiquior grammatistarum, explicationem forensium vocabulorum recens sophistarum ludus tradebat. Ex illis ludimagistrorum explanationibus quaedam ad Alexandrinos Homeri interpretes pervenire potuisse certum est, fuisse quae pervenerint credibile est, non alios esse qui ab Aristarcho, plerumque refutandi caussa, commemorentur communique indice

---

[32]) *Cic.* Legg. II, 23, 59.

[33]) Insignis est eam in rem Digestorum titulus is, cui

„glossographi“ dicantur, id vero admodum dubium [34]). — Sophistis viam monstraverit Democritus Abderita, librorum *περὶ Ὁμήρου ἢ ὀρθοεπείης καὶ γλωσσέων* et *Ὀνομαστικοῦ* auctor [35]). Harum inscriptionum neutram credo ab Democrito ipso profectam esse, immo utraque alicui eorum deberi videtur, qui ab illo quae essent scripta in ordinem quendam digerebant. Priore autem titulo unum arbitramur opus significari, quod ita ad Homerum spectarit, ut huius et *ὀρθοεπείην* et *γλώσσας* explicaret, neque vero *ὀρθοεπείη* Democriti fuerit illa, quae grammaticis plerumque dicitur, „recta locutio“ emendata cum suavitate vocum explanatio [36]), sed potius „recta elocutio“ quo sensu Dionysius accepit, cum Platonem *ὀρθοεπείας* normam dicit [37]). Alterum opus, *Ὀνομαστικόν*, diligenter illud distinguendum est ab *Ὀνοματικῷ*, quale Herodianus scripsit; in *Ὀνοματικῷ* enim omnia ad solam grammaticam nominum rationem revocabantur; quae eorum esset orthographia, quae declinatio, quae divisio, id ibi accuratius pertractabatur, significationi aut nulla aut non magna opera dabatur; contra in *Ὀνομαστικῷ* nomina eatenus spectabantur, quatenus rerum essent denominationes. *Ὀνομαστικά* igitur ad lexica et glossaria propius accedebant, a quibus tamen duobus nominibus differebant; primum enim etsi non neglegebant, quae usu rariora, quae obsoleta, quae intellectu difficiliora essent, non magis tamen vulgares voces quotidianaeque vitae spernebant nomina; deinde non erant illa litterarum ordine disposita sed rerum quandam distributionem sequebantur, ut quae res sua natura finitimae et propinquae, earundem denominationes quoque spatio vicinae essent, ratio autem synonymorum potissimum et homonymorum haberetur, neque vero in summa rerum distributione internae quaedam earum virtutes spectabantur, sed multa casui et fortunae relinquebantur; ea omnia dubitantem et nescientem docebit, quod aetatem tulit Pollucis Naucratitae Onomasticon. — Atque haec de Democrito, quem quod sophistis praeivisse dixi, eo spectavi,

---

inscriptum est „de verborum significatione“; in eum enim recepit Tribonianus unum tantum fragmentum ex *Aelii Galli* libro I. de Verborum, quae ad ius civile pertinent significatione depromptum (fr. 157); reliqua omnia petiit ex *Q. Mucii Scaevolae ὅρων*, *Alfeni Vari* digestorum, *Labeonis πιθανῶν*, *Proculi* epistolarum, *P. Iuventii Celsi* digestorum, *Prisci Iavoleni* epistolarum, posteriorum Labeonis, ex Plautio, ex Cassio, *Iuliani* ex Minicio, *Africani* quaestionum, *Terentii Clementis* ad legem Iuliam et Papiam, *Pomponii* ad Sabinum, ad Q. Mucium, epistolarum et enchiridii, *Gaii* ad edictum praetoris urbani, ad edictum provinciale, ad legem XII tabularum, ad legem Iuliam et Papiam, de verborum obligationibus, *C. Cervitii Scaevolae* digestorum, *L. Ulpii Marcelli* digestorum, *Papiniani* quaestionum et responsorum, *Tryphonini* disputationum, *Ulpiani* ad edictum, ad legem Aeliam et Sentiam, ad legem Iuliam et Papiam, ad Sabinum, de adulteriis, de officio consulis, *Pauli* ad edictum, ad edictum aedilium curulium, brevis edicti, imperialium sententiarum, ad Sc. Orfitianum, ad legem Fusiam Caniniam, ad legem Iuliam et Papiam, ad Plautium, ad Vitellium, quaestionum, responsorum; sententiarum, manualium, de cognitionibus, epitomarum Alfeni, fideicommissorum, de tacitis fideicommissis, *Callistrati* quaestionum et de cognitionibus, *Marciani* institutionum, publicorum iudiciorum, *Florentini* institutionum, *Aemilii Macri* ad legem vicensimam, *Licinii Rufini* regularum, *Modestini* differentiarum, regularum, excusationum, responsorum, pandectarum, de praescriptionibus, *Hermogeniani* iuris epitomarum libris; nullum contra recepit ex *Ateii philologi* glossematorum, nullum ex *Cincii* libro de verbis priscis, nullum ex *L. Aelii Praeconini Stilonis* aut ex *M. Antonii Gniphonis* libris de latino sermone, nullum ex *Santrae* libris de verborum antiquitate, aut ex *P. Nigidii* commentariis grammaticis (qui, etsi alias quaestiones grammaticas, veluti de sonis, de vocalibus et consonis, de temporibus, de originibus verborum magis persecuti sunt, verborum tamen significationes non plane neglexerunt; cf. *Gell.* X, 5.), nullum ex *Verrio Flacco* de verborum significatione aut ex *M. Pomponii Marcelli*, qui sub Tiberio vixit, glossematum explicatione (*Suet.* de gr. 22.), nullum ex *Gabii Bassi* de significatione verborum (cf. *Lersch* Sprachphilosoph. d. Alt. III, 161), nullum ex *Velii Longi* commentario de usu antiquae locutionis, nullum denique ex tot aliis grammaticorum libris, quibus hic crederes opportunissimum fuisse locum. [34]) Cf. *Lehrs.* Aristarch. p. 43., praestantissimi viri verbis supra fere αὐτολεξεὶ usus sum. [35]) *Diog. Laert.* IX, 48. [36]) *Quintil.* I, 5, 33. 6, 20. *Velius Longus* de orthogr. p. 2228. 2232. 2238 Putsch. [37]) De admir.

quod primum Gorgiae sophistae Leontini Ὀνομαστικὸν quoddam ferebatur, non magni illud factum ab Polluce, cui uni [38]) huius libri memoriam acceptam referimus. Deinde in verborum significationibus similiumque nominum potestatibus eruendis cum alii sophistae bonam operam ponerent, tum Prodicus Ceus in ὀνομάτων διαιρέσει sive in differentiis nominum synonymorum distinguendis longe ceteris praestitit, primus ille περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος de industria docere professus, cuius πεντηκοντάδραχμος ἐπίδειξις omnis huc pertinebat; huius autem scholis multi et nobilissimi eruditissimique homines intererant [39]). Alii sophistae in poetarum enarratione elaborabant, quae sine verborum interpretatione fingi nulla potest; cadit illud in Protagoram imprimis, quem Plato [40]) et Simonideum quoddam carmen explicantem introducit, et hoc dicentem facit: παιδείας μέγιστον μέρος περὶ ἐπῶν δεινὸν εἶναι, ἔστι δὲ τοῦτο τὰ ὑπὸ ποιητῶν λεγόμενα οἷόν τ' εἶναι ξυνιέναι κτλ. Quod autem idem Protagoras et dicendi modos et nominum genera primus distinxit [41]), ab hoc loco alienum est. Hippiae vero Elei industria omnis in alio theatro spectata est; haec enim in graecis quidem antiquitatibus explicandis [42]), in litterarum vi et potestate sive in rhythmica earum indole constituenda [43]) versabatur, in verborum significatione nihil ille, quod sciam, praestitit. — Post sophistas commemoramus philosophos; ex his Antisthenes cum ab nominum consideratione voluerit liberalis institutionis initium fieri [44]), scripsit [45]) tum quinque libros περὶ παιδείας ἢ ὀνομάτων tum singularem librum περὶ ὀνομάτων χρήσεως ἢ ἐριστικόν; nam quae περὶ τοῦ διαλέκτου et περὶ λέξεως ἢ χαρακτήρων scripsit, ab hoc loco aliena sunt. — Plato de linguae origine in Cratylo multum philosophatur, in veriloquia verborum saepius inquirit, in eorum autem significationibus eo usque duntaxat desudat, quod partim notiones sive definitiones aliquot proposuit, partim nunc Aeolicas Doricasve voces Atticis adhibitis interpretatur, nunc antiquiorem Atthida cum suae aetatis consuetudine componit [46]). — Aristoteles cum omnino eruditionem et multiplicem litterarum doctrinam cum philosophia coniungeret, tum grammaticae quoque si minus, id quod veteres aliquot scriptores iudicarunt [47]), auctor, at eius certe amplificator erat; sed utut ille de linguae elementis, de partibus orationis, de generibus substantivorum, de nominum declinationibus insigni diligentia commentatus est, quamquam etiam quae huc pertinerent quaestiones magis movit, quam decrevit et finivit [48]), de verborum tamen significationibus eruendis accuratiusque constituendis ipse et familia Peripatetica mediocriter merebantur, nisi quod definitiones eis etiam plures debentur quam Platoni; περὶ λέξεως enim libri, qui Aristotelis [49]), Theophrasti [50]), Eu-

---

vi dic. in Demosth. pag. 1035. [38]) *Pollux.* IX Praefat. [39]) Cf. *Welcker.* Rhein. Mus. I, 559 sqq. Subtilium distinctionum ab Prodico institutarum egregia quaedam specimina continet Platonis Protagor. p. 340, reliqua quae quidem in Platonis dialogis extant, post alios composuit Spengelii diligentia (Art. Scriptt. p. 48 sqq.) [40]) *Plat.* Protag. p. 339. Quod igitur Themistius (Or. XXIII p. 289 d. p. 350 Dind.) habet, καὶ Πρόδικος καὶ Πρωταγόρας ὁ Ἀβδηρίτης ὁ μὲν ὀρθοέπειάν τε καὶ ὀρθοῤῥημοσύνην μισθοῦ ἐκδιδάσκων τοὺς νέους, ὁ δὲ τὰ Σιμωνίδου τε καὶ τῶν ἄλλων ποιήματα ἐξηγούμενος, σοφισταὶ ὅμως καὶ ἤδην καὶ ἐλεγέσθην, ita esse explicandum, ut Prodico ὀρθοέπεια et ὀρθοῤῥημοσύνη, Protagorae interpretatio poetarum tribuatur, verissime monet *Welckerus* l. c. [41]) *Classen* de grammat. graec. primord. p. 29 sqq. [42]) *Plat.* Hipp. mai. p. 285, d. [43]) *Classen* l. c. p. 32 sq. [44]) *Arrian.* Diss. Epict. I, 17 Ἀντισθένης λέγει ὅτι ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις. [45]) *Diog. Laert.* VI, 17. cf. *Petersen.* A. L. Z. 841 Nov. p. 379. [46]) *Classen* l. c. p. 21 sq. [47]) *Dio Chrysost.* Or. 53 p. 563 (II. p. 274 Reisk.) Ἀριστοτέλης ἀφ' οὗ φασι τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν. [48]) *Classen* l. c. p. [49]) *Diog. Laert.* V, 24 extr. [50]) *Diog. Laert.* §. 47. De Theophrasti libro περὶ λέξεως uberius exposuit, qui nuper his litteris immatura morte ereptus est, *Maximilianus Schmidt* in diligentissima commentatione de Theophrasto rhetore p. 37 sqq.

demi [51]) aliorumque Peripateticorum ferebantur, ad rhetoricam elocutionem pertinebant, grammaticum de verborum significatione locum raro attingebant. Plura fortasse eo in genere Heraclides Ponticus praestitit, qui Democritum singulari, Heraclitum quattuor libris interpretatus est, id quod sine verborum explicatione effici non poterat. Sed omnes Peripateticos facile superaverit Praxiphanes Dionysophanis filius, Mitylenaeus idemque Rhodius, Theophrasti auditor. Hic, de quo nunc ipsum diligenter commentatus est Prellerus [52]), cum non tantum una cum Aristotele sublimiorem grammaticam absolvisse [53]), sed primus etiam grammatici nomine appellatus esse dicatur [54]), rectius fortasse inter grammaticos quam inter philosophos commemoretur; sed utut est, glossas eum explicasse duo quae supersunt fragmenta fidem faciunt. — Stoici grammaticam philosopham, quae dicitur, inchoatam a Peripateticis ita absolverunt, ut Graeci nullam Stoicorum grammatica viderint perfectiorem [55]); verba quoque et unde essent dicta studiose exquirebant [56]), neque quid significarent prorsus neglegebant; immo utrumque cum dialectica coniungebant [57]), quam, ut Chrysippus auctor est [58]), *περὶ τὰ σημαίνοντα καὶ τὰ σημαινόμενα* versari volebant. Praeterea Stoicorum eos, qui *περὶ λέξεως* scripserunt, quod, ut modo dixi, id genus libri ad rhetoricam potius pertinebant, sed nonnulli eorum, veluti Zeno, Cleanthes, Antipater Tarsensis et qui imprimis hic dicendus nobis est, Chrysippus, etiam *περὶ λέξεων* commentati sunt [59]). —

Ab eloquentiae professoribus et artium rhetoricarum scriptoribus, sive sophistae illi sive philosophi sive rhetores dicebantur, neque nihil neque multum credibile est ad hunc de verborum significatione locum expediendum esse collatum; hoc cum quartus librorum ad Herennium et tertius liber Ciceronis de oratore tum Demetrii qui aetatem tulit *περὶ ἑρμηνείας* libellus luculenter probat; illud vel inde patet, quod ubi, ut hoc utar, de verbis ambiguis praecipiebant, quae in duas pluresve sententias accipi possent, vel vitandis ut ne obscura, vel consequendis, ut oratio urbana festivaque et acuta redderetur, ne poterant quidem verborum ancipitium multiplices significationes praetermittere. Sed satis habemus nomina posuisse eorum, qui ab Empedocle Agrigentino, quem primum volunt aliqua circa rhetoricen movisse [60]) ad Peripateticos usque et Stoicos, quorum libros *περὶ λέξεως* iam commemoravimus, in hac arte elaborarunt, ut Coracem et Tisiam Syracusanos, Thrasymachum Chalcedonium, Theodorum Byzantium, Gorgiam Leontinum, Protagoram et Prodicum, Polum Agrigen-

---

51) ***Diog. Laert.*** V, 88. 52) „***Prelleri*** de Praxiphane Peripatetico inter antiquiss. grammatic. nobili disputatio" praemiss. Indici scholarum Dorpatens. a. 1842. 53) ***Bekk. Anecd.*** II. 729. *ἡ δὲ περὶ τὸν Ἑλληνισμὸν (γραμματική), ἥτις καὶ νεωτέρα ἐστίν, ἀρξαμένη μὲν ἀπὸ Θεαγένους, τελεσθεῖσα δὲ παρὰ τῶν Περιπατητικῶν Πραξιφάνους τε καὶ Ἀριστοτέλους.* 54) ***Clemens Alex. Strom.*** I, p. 365 Pott. *Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Κυμαῖος πρῶτος τοῦ κριτικοῦ εἰσηγήσατο τοὔνομα καὶ γραμματικὸς προσηγορεύθη. ἔνιοι δὲ Ἐρατοσθένη τὸν Κυρηναῖόν φασιν, ἐπειδὴ ἐξέδωκεν οὗτος βιβλία δύο γραμματικὰ ἐπιγράψας. ὠνομάσθη δὲ γραμματικός, ὡς νῦν ὀνομάζομεν, πρῶτος Πραξιφάνης Διονυσοφάνους Μιτυληναῖος.* Haec vehementer luxata et turbata videntur; restitue saltem: *Κυμαῖος πρῶτος [τοῦ γραμματικοῦ ἀντὶ] τοῦ κριτικοῦ εἰσηγ. τ. — βιβλία δύο, γραμματικὰ ἐπιγράψας [ὠνομάσθαι οὕτως πρῶτον.] ὠνομάσθη κτλ.* 55) ***Preller*** l. c. p. 12. ***Rud. Schmidt*** Stoicor. grammatica. Hal. 1839. 56) ***Cic.*** de offic. I, 7. In etymologica arte Stoicos duces secutus est etiam Varro, qui V, 9 se „non solum ad Aristophanis lucernam sed etiam ad Cleanthis lucubrasse" et VI, 1 „huius rei sibi auctorem Chrysippum et Antipatrum" profitetur. Hinc merito colligit C. O. Muellerus grammaticam Stoicorum doctrinam ex Varrone partim instaurari posse. 57) ***Diog. Laert.*** VII, 55. 58) ***ibid.*** 62. 59) ***Diog. Laert.*** VII, 4. De Cleanthe autem et Antipatro Tarsensi cf. not. 56. et ***Diog.*** L. VII, 58, quamquam hic alii libri habent *περὶ λέξεως*. 60) ***Quintil.*** III, 1. ***Sturz*** Empedocl. p. 24. De iis artium scriptoribus, de quibus nihil in his animadversionibus dicetur, adi ***Westermanni*** histor. eloq. Graec.

gentinum [61]), Licymnium, Callippum [62]), Pamphilum, Parmenidem, Archelaum [63]) *τεχνογράφους*, tum Atticos illos Antiphontem, Lysiam, Isaeum, Aeschinem, imprimis autem Isocratem et Isocrateos Philiscum Milesium, Naucratem Erythraeum, Theodectem Phaselitam, Ephorum [64]) Cymaeum, Anaxagoram, in quorum arte elocutioni plurimum tribuebatur [65]) et elocutionis praecepta singulari industria libris *περὶ λέξεως*, *περὶ ἑρμηνείας*, *περὶ φράσεως* tradebantur [66]).

Grammatica autem, ex quo ad artem disciplinamque revocata est, hunc de glossis locum, in cuius tamquam vacuam caducamque possessionem, ut modo vidimus, grammatistica, sophistica, philosophia, rhetorice irruerant, ita sibi soli vindicavit, ut reliquas artes eo excluderet. Faciunt huc pleraeque omnes, utut alioquin differunt, quotquot Graeci grammatici tum grammaticae grammaticique dederunt definitiones, tum illius descriptiones et divisiones. Earum nobiliores commemorabo. Dionysius igitur Thrax [67]), *γραμματική*, inquit, *ἔστι ἐμπειρία τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ λεγομένων*, quam finitionem Aristarcheam esse Classenus [68]) evicit; huius definitionis parte immutata parte abiecta Asclepiades [69]) *γραμματική*, dicit, *ἔστι τέχνη τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσι λεγομένων*. Demetrius autem Chlorus [70]) *γραμματικὴν τέχνην* vult esse *τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ τῶν κατὰ τὴν κοινὴν συνήθειαν λέξεων εἴδησιν*. Qui vero Pergamenae scholae grammaticae quasi antesignanus erat, Crates Mallotes, Aristarchi adversarius, cum ab grammatico criticum distingueret et hunc cum architecto, illum cum ministro compararet, *τὸν γραμματικὸν* dixit [71]) *ἁπλῶς γλωσσῶν ἐξηγητικὸν καὶ προσῳδίας ἀποδοτικὸν καὶ τῶν τούτοις παραπλησίων*. Idem confirmat Seneca nobilissimo eo loco, [72]) ubi Ciceronis de republica librum si hinc philologus prehendat, hinc grammaticus, hinc philosophus, alium aliud inde subnotaturum dicit; grammaticum enim in commentarium relaturum esse *reapse* dici ab Cicerone nec minus *sepse*, deinde transiturum ad ea, quae consuetudo saeculi mutarit. — Partes autem grammaticae cum Asclepiades [73]) tres *τεχνικόν*, *ἱστορικόν*, *γραμματικόν*, totidemque Sextus Empiricus [74]) *τεχνικόν*, *ἱστορικόν* et *ἰδιαίτερον*, reliquorum autem plerique omnes [75]) quattuor *διορθωτικόν*, *ἀναγνωστικόν*, *ἐξηγητικόν* et *κριτικόν*, unus denique Dionysius Thrax sex constituerit [76]) divisa prima parte in tres 1) *ἀνάγνωσιν ἐντριβῆ κατὰ προσῳδίαν*, 2) *ἐξήγησιν κατὰ τοὺς ἐνυπάρχοντας ποιητικοὺς τρόπους*, 3) *λέξεων* s. *γλωσσῶν καὶ ἱστοριῶν ἀπόδοσιν*; 4) *ἐτυμολογίας εὕρεσιν*, 5) *ἀναλογίας ἐκλογισμόν*; 6) *κρίσιν ποιημάτων*: de glossis locum Asclepiades historicae parti subiecit, Sextus ad *ἰδιαίτερον* retulisse videtur (nam hanc partem sic describit: *τὸ κατὰ τοὺς ποιητὰς καὶ συγγραφεῖς ἐπισκοποῦσι, καθὸ τὰ ἀσαφῶς*

---

[61]) Polum *περὶ λέξεων* scripsisse Suidas auctor esse videtur, nisi maior fides penes eos Suidae libros, qui *λέξεως* scripturam offerunt. — De Licymnii arte cf. *Spengel* art. scriptt. p. 85. 88 sq., qui cum *κάλλος ὀνόματος* aut *ἐν τοῖς ψόφοις* aut *ἐν τῷ σημαινομένῳ* inesse contenderit, significationi verborum eruendae aliquid tribuisse censendus est. [62]) Callippi artem commemorat *Aristoteles* Rhet. II, 23, 14 et 21 Pamphili idem ib. [63]) Archelaus *τεχνογράφος* *Diog. Laert.* II, 17. Parmenides *ῥήτωρ τεχνογράφος* *id.* IX, 23. [64]) *Meier. Marx.* de Ephor. p. 133. [65]) *Spengel* p. 161. [66]) *περὶ φράσεως* Hermagoras scripsit Temnius, *περὶ ἑρμηνείας* Demetrius, Anaximenes Lampsacenus, alii. [67]) *Sext. Empir.* adv. gramm. I, 3, 57. *Bekk. Anecd.* II. p. 629. [68]) *Classen* l. c. p. 81. [69]) *Sext.* §. 74. [70]) *id.* §. 84. [71]) *id.* §. 79. Tyrannionem, qui *γραμματικὴν* voluit *θεωρίαν μιμήσεως* esse (*Bekk.* Anecd. 668) et si quae eiusdem farinae sunt, consulto praetereo. [72]) *Senec.* epist. 108. [73]) *Sext. Empir.* l. c. §. 252. [74]) *ib.* §. 91. [75]) *Schol.* in Dionys. Thrac. gr. in Bekk. Anecd. p. 736 *τὰ πάλαι μέρη τῆς γραμματικῆς ἦν τέσσαρα καὶ εἰσὶ ταῦτα διορθωτικόν, ἀναγνωστικόν, ἐξηγητικόν, κριτικόν, καὶ τέσσαρα τὸ πάλαι παρεδίδοσαν τοῖς νέοις ἔχειν τὴν γραμματικήν.* p. 659, 27. 671, 5. (p. 683, 15 inverso ordine *τὸ διορθωτικόν* tertio loco collocatur, *ἀναγ. ἐξ. διορ. κριτ.*; idem ordo est 671, 5 quem locum not. 78 allaturus sum). [76]) *Sext.* l. c. §. 248 habet *λέξεων*, in ipsa Dionysii Thracis grammatica p. 626 extat *γλωσσῶν*.

λεγόμενα ἐξηγοῦνται), Dionysius una cum historiarum enarratione tertiam partem iussit esse, reliqui omnes *διορθωτικῷ* adscripserint; nam quod Cicero, ut aliquot exemplis comprobet quae sint conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuisse, etiam hoc utitur: [77]) *ut in grammaticis poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus*" non putandus est iustas grammaticae partes referre voluisse. Inter organa autem quae dicebantur grammaticae *τὸ γλωσσηματικὸν* non infimum locum tenebat [78]).

His expositis transeo ad ipsos glossarum sive lexeon scriptores. [79]) Antiquissimus eorum, qui ex *grammaticis* „lexin" scripserunt, fortasse Apollodorus erat Cumanus [80]), quem primum grammaticum se dixisse Clemens Alexandrinus auctor est, quamquam huius aetas incertissima est. Certior longe est Philetae Coi memoria, qui vitam a Philippi regno usque ad Ptolemaeum primum perduxit; hic glossas, imprimis homericas in *Ἀτάκτοις* sive Miscellaneis exposuit. [81]) Post Philetam commemorandus esset Zenodotus Ephesius, qui Philetae discipulus erat, si quae commemorantur Zenodoti *ἐθνικαὶ λέξεις* et *περὶ φωνῶν ζώων* libellus sive de „verbis, quibus variorum animalium voces designabantur," Ephesii neque iunioris cuiusdam Zenodoti Alexandrini fuisse constaret. [82]) Commemorandus esset eodem loco Clitarchus, modo constaret, quod non constat, quamquam illud constare visum est Vossio, Schweighaeusero, aliis, qui argumentis tamen, quod sciam, nullis usi ita statuerunt, Clitarchum glossographum non diversum esse ab Clitarcho rerum Alexandri scriptore [83]). His magis nota atque te-

---

[77]) *Cic.* de orat. I, 42. [78]) *Bekk.* Anecd. p. 659 *ὄργανα δέ εἰσι τέσσαρα τὰ περί τὴν γραμματικὴν ὄντα, γλωσσηματικόν, μετρικόν, τεχνικόν, ἱστορικόν.* ib. 671. *ἡ γραμματικὴ διὰ τοῦ γλωσσηματικοῦ καὶ μετρικοῦ καὶ τεχνικοῦ* (omissum igitur hic est *ἱστορικόν*) *καὶ διδάσκει τὴν ἀνάγνωσιν καὶ τὴν ἐξήγησιν καὶ τὴν διόρθωσιν καὶ τὴν κρίσιν.* [79]) Litteris haec aliquot annis ante exarata erant, quam in manus meas veniret ***Laurentii Lersch*** „Sprachphilosophie der Alten III. Theil Bonn 1841" ubi hic quoque de glossis locus p. 63 sqq. diligenter pertractatus est. Nolui autem hinc mea vel augere vel corrigere, ut ne alienam messem metere viderer. [80]) *Schol. Theodos.* in Dionys. Thrac. gr. ap. Burmann. in Vales. art. crit. p. 146 (nam in scholiis, quae Bekkerus in grammat. Dionys. Thrac. edidit, is non extat locus) *Αὐτόδωρος ὁ Κυμαῖος συγγραψάμενος λέξιν, ἐπέγραψεν „Αὐτοδώρου γραμματικοῦ λέξιν".* Hic „Apollodori" nomen probabiliter reposuit *Classenus* de gramm. graec. primord. p. 8., quem sequitur ***Prellerus*** l. c. p. 9. Clementis locum posui supra not. 54. [81]) Philetam Hermesianax quidem ap. ***Athen.*** XIII, 598. f circa ***omnia*** vocabula et ***omnem*** sermonem elaborasse dicit (*περὶ πάντα ῥήματα καὶ πᾶσαν τρυόμενον λαλίην*), attamen ad glossas tantum sive ad reconditiora vocabula *τὰ τοῦ Φιλητᾶ βιβλία* spectasse tum Strato comicus luculenter docet ap ***Athen.*** IX, 383, b, tum inscriptio demonstrat *ἐν ἀτάκτοις γλώτταις*, qua ***schol. Apoll. Rhod.*** IV, 989, *ἐν γλώτταις*, qua ***Etym. M.*** 330, 39 utitur; quamquam ab Phileta ipso libros simplici *Ἀτάκτων* indice inscriptos esse arbitror. Quae autem aetatem tulerunt fragmenta, suadent ut ad Homericas potissimum glossas, neque tamen ad has solas pertinuisse statuamus Miscellanea; nam quaedam glossae ab Homericis carminibus abhorrent, veluti *ἀμόραι, ἄμφωτις, ἄστλιγξ, Ἀχαιά, Ἄχνη, δεῖνος, κρήϊον, ὄμπνιος, πρόκες, προχύτης, σκαλλίον, σκεῖρος*, aliae; contra Homericae sunt *οὐλοχύται, πηγός, χέρνιβα, „μίστυλλα, μοίρας, δίπτυχ', ὀβελούς", ἀγκάλη, ἄωτον, ἴσθμιον, κύπελλον, πέλλα.* „Miscellanea" Philetas inscripserit librum, quod liberiore quodam ordine passim et quasi per saturam esset dispositus. Praeter Miscellanea Philetas commentarios quoque in Homerum scripserit, quibus indicium suum de verborum contextu, qui vocatur, constituendo tulerit; commentariis his Aristarchus opposuerit *τὸ πρὸς Φιλητᾶν σύγγραμμα*, quod in Homericis scholiis semel in partes vocatur; ex illis repetita sint, quaecumque in iisdem scholiis vel in Eustathio ad crisin Homericam spectantia tamquam ab Phileta profecta afferuntur. Cf. ***Nicol. Bach*** Philet. p. 68 sqq. [82]) Zenodoti *ἐθνικαῖς γλώσσαις* testimonium denuntiatur ab ***Galeno*** explanat. voc. Hippocr. p. 540. 542. Hinc petita videntur Zenodotea, quae apud ***Athen.*** VII, 327, b XI, 478, e leguntur. De libello *περὶ φωνῶν ζώων* cf. ***Valckenaer*** Animadvv. in Ammon. III, 18 p. 228. [83]) Harpocratio cum v. *ἐπιβλῆτας* commemoret *Κλείταρχον τὸν γλωσσογράφον*, v. *ὁμηρεύοντας* autem solum habeat *Κλείταρχος ἐν τῇ ἕ*, grammaticum videtur ab rerum scriptore distinguere voluisse. Apud ***Athenaeum*** bis XI, 468, a et 475, d extat *Σιληνὸς καὶ Κλείταρχος*, semel X, 478, e *Σιληνὸς καὶ Κλείταρχος ἔτι δὲ Ζηνόδοτος*; crederes hinc Clitarchum aetate posteriorem fuisse Sileno, qui inter Hannibalici belli et Ciceronis tempora vixisse videtur,

stata est aetas Lycophronis Chalcidensis, Callimachique et Eratosthenis. Eorum Lycophro, cum esset a Ptolemaeo Philadelpho in bibliotheca Alexandrina comoediis colligendis et in ordinem redigendis praepositus, [84]) magnum opus de comoedia (*περὶ κωμῳδίας*) condidit, in quo non tantum exposuit, quaecumque ad *διδασκαλίαν* comoediarum Atticarum pertinerent, sed verba quoque explicavit, quae non vulgaria usu aut Alexandrinorum iudicio obscura viderentur. Simile institutum tenuit Eratosthenes, cum eodem indice inscriptos commentarios Lycophroneis opponeret; hos quoque fuisse amplissimo volumine credibile est, quippe quorum liber XII ab Photio [85]) in partes vocetur; in his verborum comicorum sive *κωμικῆς λέξεως* interpretationem late patuisse quae aetatem tulerunt fragmenta fidem faciunt. [86]) Callimachum autem, qui erat ut Lycophrone iunior ita senior Eratosthene, non minus utroque in verborum explicatione desudasse documento est, quod aliis libris Democriti glossas, aliis *ἐθνικὰς ὀνομασίας*, aliis *μηνῶν προσηγορίας*, denique aliis libris de urbium et insularum originibus et mutatis nominibus commentatus est. — Qui Zenodoto Callimachoque et Eratosthene magistris usus est, Aristophanes Byzantius, hic non tantum de nominibus tum aetatum [87]) et cognationis tum affinitatis [88]) sive *Συγγενικά*, sed etiam magnum opus glossarum condidisse videtur, cuius quae solae diserte commemorantur *Λακωνικαὶ* [89]) *γλῶσσαι* et *Ἀττικαὶ* [90]) *λέ-*

---

sed Athenaeus in scriptorum memoriis afferendis temporis ordinem adeo negligit, qui XI, 482, f — 483, a et. XV, 677, c Silenum vel ante Philetam ponat. [84]) Cf. tum Plautinum scholium ab Ritschelio nostro in libro, cui indicem fecit, „Die Alexandrinischen Bibliotheken“ etc. Vratislav. 1838. 8. plenissime editum tum graecum incerti scriptoris libellum de comoedia primum ab Cramero (Anecd. Paris. T. I. Oxon. 1839. 8.) dein in Germania saepe et multum typis expressum, ab Ritschelio autem in commentatione, quam Altensteinii memoriae universitatis Bonnensis nomine, consecravit, luculenter illustratum (1840. 4.) [85]) *Phot.* v. *εὔκλεια*. [86]) De Lycophronis et Eratosthenis *περὶ κωμῳδίας* libris cf. *Meineke* hist. cr. com. gr. p. 10 sq. In Eratostheneis legebantur explicationes non paucarum vocum, quae ad Attica instituta pertinerent, veluti *βασιλίδες*, *δεκάζειν*, *κύρβεις*, *Λύκου δεκάς*, *μεῖον*, *μεταλλεῖς*, quibus partim suos hortulos irrigarunt lexicorum rhetoricorum auctores; cf. *Bernhardy* Eratosth. p. 213. [87]) Eum librum *Athenaeus* IX, 375, a *περὶ ἡλικιῶν*, *Eusthathius* in Il. I, 535 p. 772, 58. in Od. *μ*, 252 p. 1720, 25. Od. *ξ*, 81 p. 1750, 12. Od. *ρ*, 219 p. 1817, 19 *περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν* appellat. Eo in libro non tantum de hominum sed de omnium animalium aetatibus et de nominibus illorum pro aetatis differentia variis egit. Hinc desumpta est, quae ap. *Eustath.* in Il. IV. 824 p. 962, 7 extat tamquam ab Aristophane grammatico profecta distinctio inter *βρέφος*, *παιδίον κτλ.*; indidem crederem repetita, quae ad *προσφωνήσεις παιγνιωδεστέρας καὶ ὑποκοριστικὰς ἄππα*, *πάππα*, *μάμμα*, *μάμμη*, *μαμμαία* pertinentia ex Aristophane tradit *Eustath.* p. 1118, 9, nisi praestaret haec ad librum *συγγενικῶν* referre. [88]) *Eustath.* in Il. *Z*. 378 p. 648, 54 *ἐν τοῖς Ἀριστοφάνους τοῦ γραμματικοῦ Συγγενικοῖς εὕρηται τίς διαφορὰ τοῦ ἑκυρὸς καὶ πενθερός*. Noli igitur dubitare, quin apud *Athenaeum* X, 424 c pro *ὡς Ζηνοφάνης ἐν τῷ Συγγενικῷ* reponendum sit: *ὡς Ἀριστοφάνης*, quamquam Zenophanis nomen iterum legitur XIII, 576. d. In hoc libro extitit fortasse Aristophanis explicatio vocum *χηρός*, *χηρωστής*, commemorata ab *Eustath.* in Il. *E*, 627 p. 589, 20. Idem argumentum alii quoque post Aristophanem pertractarunt. Memorabilem locum, qui in *ἐκθέσει συγγενικῶν λέξεων φερομένων ἐν ῥητορικῷ λεξικῷ* extitit, habet *Eustath.* in Il. *E*, 408 p. 565, 20; alium, nescio cuius *τὰ ῥηθέντα συγγενικὰ ἐκγραψαμένου* neque minus memorabilem habet *idem* in Il. *Ξ*, 118 p. 971, 23. Aristophanis vero librum spectat tum *Phot.* v. *οἰκείαν*, ubi fortasse scribendum: *παρεσημειοῦντο πρὸς τὴν οἰκείαν, ὅτι οὐ κυρίως κέχρηται τῷ ὀνόματι. οἰκείους γὰρ ἐκτίθεται Ἀριστοφάνης ἐν τῷ περὶ συγγενικῶν κτλ.* tum *Eustath.* in Il. *B*, 652 *ὡς δηλοῖ ὁ ἐν τῷ περὶ συγγενικῶν ὀνομάτων*, ubi differentia traditur et significatio vocum *τηθίς*, *τήθη*, *μάμμη*, *θεῖος*, *πάτρως*, *μήτρως* etc. [89]) *Athen.* III, 77, a. *Πάμφιλος - τοῦτο λέγων Ἀριστοφάνην εἰρηκέναι ἐν Λακωνικαῖς γλώσσαις.* *Id.* 83, a *Ἀριστ. ὁ γραμματικὸς ἐν Λ. γ.* *Hesych.* v. *Πουρίακος* habet *ὡς Ἀρ. φησιν ἐν ἐξηγήσει Λακωνικῶν*, quae verba fortasse in alienum locum migrarunt et reponenda sunt post proximam superiorem glossam: *πούρδαιον, μαγειρεῖον, Λάκωνες.* Easdem glossas significat *idem* vv. *ἄαδα* et *βούθυτον*. Quodsi contuleris *Eustath.* in Il. *B*, 537. p. 279, 39. *ὡς ὁ γραμματικὸς Ἀριστοφάνης παρέπηξεν ἐν* (sic) *οἷς ἔφη περὶ καινοτέρων λέξεων* (agitur eo loco de Aeolismis quibusdam), in Od. *ξ*, 350. p. 1761, 24. *Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς καὶ ἄλλας ἐκτίθεται καινοφώνους λέξεις, οἷον ἀσίλλαν, — μοιχὴ καὶ μοιχὶς ἀσυνηθῆ — καὶ τὸ στεγανό[illegible]ον — καὶ τὸ ἐπικοκκάζειν ὕβρει — καὶ λαπίζειν — καὶ βαυβᾶν — καὶ τὸ ἀρδαλῶσαι κτλ.*, probabile tibi v[illegible]d[illegible]bitur libros Aristophanis

ξεις partem tantum constituerint; harum utrasque usurpavit et Erotianus, qui sub Nerone, et Pamphilus, qui paullo post vixit; ex hoc eas cognoverit Athenaeus.[91]) — Qui Aristophani aequalis erat, Polemo singulari epistola **περὶ ἀδόξων ὀνομάτων**, i. e. de vocabulis infamibus, sive, ut Gellii verbo utar, inopinalibus commentatus est.[92]) Ex Aristophaneis in simili studio versati sunt Artemidorus, Callistratus, Diodorus; nam maximus Aristophanis discipulus, Aristarchus, si Lehrsium audis [93]) „non scripsit glossas, sed in continua poetae interpretatione versatus est, in consuetis vocabulis — plus etiam quam in rarioribus et antiquitate obscuratis operae ponens, et, ne quid praetermittatur, verbum verbo reddens.“ Illorum autem Artemidorus *ὁ Ἀριστοφάνειος* [94]), sive, ut convicii caussa dicitur, *ὁ Ψευδαριστοφάνειος* [95]), quem ab cognomine Ephesio, nobili *γεωγραφουμένων* scriptore, probabilius est fuisse quam non fuisse diversum [96]), is igitur magnum opus grammaticum effecit, cui *λέξεις* [97]) vel *συναγωγὴν λέξεων* [98]) inscripsisse videtur; huius partem aliam effecerint *Ἰωνικὰ ὑπομνήματα* sive Ionici commentarii, in quibus Ionicae dialecti quae essent propriae glossae, fuerint enarratae; aliam libri *περὶ Δωρίδος* sive de Dorica dialecto, aliam *αἱ ἐπιγραφόμεναι ὀψαρτυτικαὶ γλῶσσαι*, sive *αἱ ὀψαρτ. λέξεις* [99]) culinariae glossae; hoc in genere praeiveritne Artemidorus an successerit Heracleoni Ephesio [100]), non ausim decernere, quod de Heracleonis aetate nihil constat, nisi Lycophro-

---

latius patuisse atque aliarum etiam Graecarum gentium glossas esse complexos, ita ut eorum partem constituerint non minus laconicae quam atticae glossae. Ex hoc maiore opere, neque vero ex ea parte, quae ad laconicas glossas pertinebat, petita sunt, quae extant ap. *Schol.* Hom. Il. *Α*, 567 *ἐν δὲ ταῖς τοῦ Ἀριστοφάνους γλώτταις διὰ τοῦ ε̄ ἐγέγραπτο ἀέπτους* (unde habet ***Eustath.*** p. 150, 18. *Ἀριστοφάνης δὲ ἐν ταῖς γλώσσαις, ὥς φασιν οἱ παλαιοί, ἀέπτους γράφει διὰ τοῦ ε̄*), ap. ***Eustath.*** in Il. *Ε*, 266 p. 546, 28 (agitur de *ἀμύνεσθαι*), ib. v. 413 p. 566, 12 (agitur de voce *οἰκετῶν*), in Il. *Λ*, 676 p. 877, 49 (luculentissimum fragmentum, quo de *μῆλα, πρόβατα, νομεῖς* similibusque agitur, eius particula repetitur in Od. p. 1828, 58) in Od. *ρ*, 455 p. 1827, 46 (agitur de *ἐπιστάτης* voce) *φ*, 407 p. 1915, 18 (explicatur *κόλλοψ*), ***Hesych.*** v. *Μεσαύχενες*. Quod tamquam fragmentum lexeon Aristophanis ***Boissonadius*** edidit in libro „Herodiani partitiones ed. Boissonade“ Lond. 1819. p. 283—289. hac inscriptione: *ἐκ τοῦ Ἀριστοφάνους τοῦ περὶ λέξεων διαλαβόντος*, contaminatum est additamentis tanto nomine indignis. [90]) *Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς ἐν ταῖς Ἀττικαῖς λέξεσι* ***Erotian.*** p. 86. 118. 232. ***Athen.*** XIV, 619, b; in ***Crameri*** Anecd. 3, 391 pro *Ἀττικαὶ διαλέξεις* reponendum *λέξεις*; his tragicorum potissimum voces sententiasque expositas esse, ut glossarium quasi tragicorum retulerint, mirum est ***Richteri*** commentum (de Aeschyl. Soph. Eur. interpret. graec. p. 71), immo non dubito, quin in hac parte glossarum Aristophanis explicatio quoque extiterit *οἰκότριψ* vocis, quae legitur ap. ***Eustath.*** p. 1327, 22; eodem retulerim aliquot etiam glossas, quae ap. ***Phot.*** leguntur vv. *Κάνδυτος, Λύσιοι τελεταί, μασχαλίσματα, σπατάγγαι*; nam *συρβάβυττα* ad librum Aristophanis *περὶ παροιμιῶν* (***Schneidewin.*** Praef. in Paroem. p. X sq.) referendum. [91]) ***Ranke*** de lexic. Hesych. origin. p. 99 sq. [92]) Cf. ***Preller*** de Polemon. p. 114. [93]) ***Lehrs*** de Aristarchi studiis Homeric. p. 54. Quod si verum est, apud ***Hesych.*** tum in libri inscriptione *Ἡσυχίου γραμματικοῦ συναγωγὴ πασῶν λέξεων κατὰ στοιχεῖον ἐκ τῶν Ἀριστάρχου καὶ Ἀπίωνος καὶ Ἡλιοδώρου* tum in epistola ad Eulogium *τῶν Ἀριστάρχου καὶ Ἀπίωνος καὶ Ἡλιοδώρου λέξεων*, aut corruptum nomen rescribendumque est *Ἀριστοφάνους*, aut referendum ad commentarios. Sed scrupulum etiam hoc affert, quod ***Galenus*** expos. glossar. Hippocr. p. 404. Hippocratis glossas Bacchium explicasse scribit *Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ τὸ πλῆθος αὐτῷ τῶν παραδειγμάτων ἀθροίσαντος, ὥς φασιν.* [94]) ***Athen.*** IV, 182, d. IX, 387, d. XIV, 662, d. [95]) ***Athen.*** I, 5, b. ***Suid.*** v. *Τιμαχίδας*. [96]) Non distinguendum esse statuit ***Rankeus*** l. c. p. 103. sqq., distinxisse videtur ***Clinton*** F. H. III, p. 537. sqq., distinxit ***Rud. Schmidt*** de Callistrat. Aristoph. p. 6. not. 6. Mihi quidem res incertissima videtur, magis tamen eo inclino ut diversos arbitrer, quod qui, ubi geographus agitur, totiens „Ephesii,“ ubi grammaticus significatur, „Aristophanei“ vel „grammatici“ cognomen addunt, eo additamento distinguere eos voluisse videntur. [97]) ***Erotian.*** p. 244. [98]) ***Schol. Aristoph.*** Vesp. 1164. [99]) *ὀψ. γλῶσσαι* apud Athenaeum locis plerisque extat, *ὀψ. λέξεις* est ibid. I, 5, b. et ap. ***Suid.*** l. c. [100]) Ab Ephesio distinguendum esse Aegyptium Heracleonem, quem Suidas auctor est *ὑπόμνημα εἰς Ὅμηρον κατὰ ῥαψῳδίαν* et *περὶ τῶν παρ᾽ Ὁμήρῳ προστακτικῶν ῥημάτων* scripsisse vix opus est quod commemoretur. Illud *ὑπόμνημα* tum in scholiis in Homerum aliquotiens in partes vocatur estque ubique intellegendum, ubi solum Heracleonis nomen extat, tum semel iterumque ab Eustathio commemoratur, etiam ab

cophrone eum fuisse posteriorem [101]); Heracleonis autem glossarum libros, etsi quae eius commemorantur ab Athenaeo glossae, omnes ad cibos et pocula spectant [102]), credibile tamen non est intra culinariae fines substitisse. — Callistratus vero Aristophaneus [103]), nobilissimus ille fortasse omnium Aristophanis discipulorum, modo ab uno Aristarcho recedas, cuius fere aequalem fuisse hinc patet, quod hunc ipsum adeo insectatus esse dicitur, quem etiam propter inconcinnum vestitum in quodam commentariorum carperet [104]), cum Homerum, Pindarum, Sophoclem, Euripidem, Cratinum, Aristophanem commentariis illustraret [105]), tum glossas quoque in *Συμμίκτοις* [106]) sive Miscellaneis explicavit [107]), quorum septem duntaxat libros fuisse certum est. [108]) — Diodorus denique Aristophaneus [109]) et Italicas [110]) glossas enarravit, et alias, veluti Laconicas et Atticas, explicasse omnesque in maioris libri molem coniunxisse videtur. [111])

Etym.* M. 702, 9**; fuisse satis illud nobilitatum et familiam quasi duxisse quae saepius redit in scholiis *τῶν περὶ Ἡρακλέωνα* memoria probat. [101]) ***Phot. **v.** *τευτάζειν* — *Ἡρακλέων καταμεμψάμενος Λυκόφρονα.* Heracleonem non solum Didymo sed etiam Nicandro Thyatireno priorem fuisse colligeres ex ordine, quo tum ***Harpocratio*** (v. *ματρυλεῖον* — *Ἡρακλέων καὶ Δίδυμος*) tum ***Athenaeus*** (III, 76, a. *Ἡρακλέων ὁ Ἐφέσιος καὶ Νίκανδρος ὁ Θυατειρηνός*) utuntur, si ex eo ordine omnino fas esset quidquam colligere. [102]) Cf. ***Ranke*** **l. c. p. 111 sq.**, qui quod Atticas potissimum glossas ab Heracleone collectas vult, fortasse recte dicit, fortasse non recte; cum vero *ὀψαρτυτικῶν* glossarum in numerum neque *ματρυλεῖον* (Harpocr.) referri possit neque *τευτάζειν* (Phot.) neque *γεφυρίς* aut *τεθήσεται* (Hesych.), illud certe non dubium est, Heracleonis libros ad alias etiam glossas quam ad culinarias pertinuisse. [103]) De Callistrato Aristophaneo singulari libello commentatus est ***Rud. Schmidt*** **Hal. 1838. 8.**, pleraque satis ille probabiliter, unum vero mihi non probavit, quod ab Aristophaneo distinguendum esse negat Domitium Callistratum, librorum *περὶ Ἡρακλείας* scriptorem, quem Stephanus Byzantius semel uno Callistrati nomine, quinquies duobus illis nominibus appellans testem citat. [104]) ***Athen.*** **I, 21, c.** [105]) ***F. A. Wolf.*** Prolegom. in Homer. p. 217. ***Schneider*** de scholior. in Aristoph. fontib. p. 87. Callistratum eum, ad quem auctorem de Athenarum urbe (*περὶ Ἀθηνῶν*) commentationem veterum criticorum alii retulerunt, cum eandem alii Menecli esse putarent, eum igitur non diversum esse ab Aristophaneo indicant ***Clinton*** **F. H. III, p. 530.** et ***Schmidt*** de Callistrat. p. 29 sq. Me ut libri memoriam hoc loco omitterem omnino, id ipsum movit, quod scrupulum etiam ***Prellero*** attulit (de Polemon. p. 173), quia ubicumque extat *Καλλίστρατος ἢ Μενεκλῆς περὶ Ἀθηνῶν*, scriptura alia *Καλλικράτης*, vel *Καλλιστράτης* reperitur. [106]) *Σύμμικτα* scripserunt etiam Simmaristus et Seleucus; glossae illius ter ab Athenaeo, glossae Seleuci saepius commemorantur; nihilominus coniicere licet ab his quoque in Miscellaneis potissimum neque vero in singulari opere glossas enarratas esse; in Seleuci *συμμίκτοις* extitit certe Stymphalidum explicatio; ***Schol. Apoll. Rhod.*** **II, 1055.** [107]) ***Erotian.*** expos. voc. Hippocr. p. 394. Quas Callistrati explicationes vocis *ἁπλᾶς* ***Harpocratio*** et ***Bekk. Anecd.*** **425, 12**, vocum *Ἰδαρναῖοι, Κιλλεία, Σελάχιον* ***Photius***, vocum *Ἐλείους, Θρώσκω, Ἰλλυρίς, Κύδρος* ***Hesychius*** commemorant, eas ***Rud. Schmidt*** **p. 23. sq.** maximam partem ex commentariis depromptas esse statuit, ***Richterus*** autem p. 74. ex quodam singulari *γλωσσῶν* opere delibatas vult, quo comicae potissimum et tragicae voces essent illustratae; ego caussae nihil video, cur in *Συμμίκτοις* negentur locum habuisse. [108]) Septimus liber commemoratur ab ***Athenaeo*** **III, 125, b.** [109]) *Διόδωρος ὁ Ἀριστοφάνειος* extat ap. ***Athen.*** **v. 180, e**; idem in ***Schol. Pind. Isth.*** **II, 54.** a Boeckhio de coniectura repositum est pro *Διόδοτος*. Diodorum glossarum scriptorem esse Aristophaneum nemo quidem diserte tradidit; sed alium Diodorum, ad quem glossae probabilius referri possint, ignoramus; neque enim glossographum credibile est aut Tarsensem fuisse, aut, id quod ***Rankeus*** **p. 113** statuit, Siculum bibliothecae auctorem; distinguendum glossographum esse ab Diodoro Valerio Alexandrino Pollionis filio recte docuit ***Otto Schneider*** de veter. in Aristoph. schol. p. 94. [110]) ***Athen.*** **XI, 479, a.** *Διόδωρος δὲ ἐν Ἰταλικαῖς γλώσσαις — ὥς φησι Πάμφιλος.* Patet hinc eum glossarum librum Athenaeum non ipsum vidisse, sed ex Pamphilo demum cognosse. Ad Italicas glossas spectat etiam ***Erotian.*** l. c. p. 216. [111]) Quod apud ***Athen.*** **XI, 501, d**, ubi agitur de Cratini *φιάλαις βαλανειομφάλοις* et **XIV, 642, e**, ubi Laconicum *ἐπαΐκλεια* explicatur, coniuncta extat memoria *Ἀπίων καὶ Διόδωρος*, quibus locis neque cum Valckenario *Ἡλιοδώρου* (luculenter id refutavit ***Ritschl*** de Alexandr. bibl. p. 144) neque cum ***Bergkio*** (Commentatt. de reliq. comoed. p. 65) *Ἡροδώρου* nomen reponendum est, illud igitur neutiquam probat Apionem Diodoro priorem fuisse, nedum illum librum vel coniuncta utriusque opera compositum vel inchoatum ab altero, ab altero perfectum esse.